

DE  
**COMBUSTIONE SPONTANEA**

**PATHOLOGICE, AETIOLOGICE AC THERAPEUTICE  
SPECTATA.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

**QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE**

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

**IN**

**ALMA UNIVERSITATE LITERARIA  
TURICENSI**

**UT SUMMI**

**IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE  
OBSTETRICA HONORES**

**RITE SIBI CONCEDANTUR**

**DIE XV APRILIS ANNI MDCCCXXXV**

**PUBLICAE DEFENSURUS EST**

**AUCTOR**

**IOANNES PFISTER**

**TURBENTHALENSIS TIGURINUS.**

---

**TURICI**

**TYPIS ORELLII FUESSLINI ET SOCIORUM.**

**MDCCCXXXV.**

1835

DE

# COMBUSTIONE SPONTANEA

PATHOLOGICÆ, AETIOLOGICÆ AC THERAPEUTICÆ  
SPECTATA.

DISSERTATIO INAEQUITATA

DE AN CONSTAT ET AETIOLOGIA  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

ALMA UNIVERSITATE LITERARIA  
TURICENSIS

UT NUMMI

IN MEDICINÆ, CHIRURGICÆ ET ANTI  
ORSTETICÆ HONORES

AD HOC CONGRUENT

ANNO MDCCCXXXI

PUBLICE DEFENSIT ET

AUCTOR

IOHANNES PEISTER

PHYSICUS TURICENSIS

TURICI

TYPE GRÆVILLI PRESSUM ET SOCIORUM

MDCCCXXXI

**VIRO CLARISSIMO**  
**CAROLO EMANUELI STEINER**

**VITODURANO**

**MEDICINAE AC CHIRURGIAE DOCTORI**

**A CONSILIO SUMMO REIPUBLICAE TURICENSIS**

**FAUTORI SUMME REVERENDO**

**AC**

**OPTIME DE SE MERITO**

**HASCE LITERARUM PRIMITIAS**

**PIA GRATAQUE MENTE**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**

VINO DI GIUSSA

CARLO EMILIO STELLA

VICENZA

REDAZIONE AD OGGIO DI GIUSSA

A L'ONORE DEL REALE ISTITUTO

DI SCIENZE LETTERARIE E ARTI

OTTIMO DEL PRINCIPATO

REDAZIONE DI GIUSSA

REDAZIONE DI GIUSSA

Quaemadmodum Magnetismus animalis diu pro re vana et inani habebatur, ita combustio quoque spontanea quae revera esset, diu incognitum erat. Cuius enim quum nondum medici haberent rationem, plebs superstitiosa et rudis tam deformem imaginem finxit, ut vera eius natura agnosci prorsus non posset. Poenas scilicet male factorum per illam a Deo expeti putabant. Iam vero ubi medii aevi ignorantia cedere incepit, huic quoque rei nova lux affulsit. Varias tum quidem de illa doctrinae prolatae sunt, semper congruae temporibus statuique literarum. Neque vero adhuc quoque multa in ea re nondum bene explorata esse, infitiri possumus. Semper enim res physiologica existimata est a medicis, nil curantibus, quod, causis animalis procreata, corpus plerumque consumit.

Quare huic morbo non minus quam cuique alii locum in systemate nosologico tribuendum esse censemus; ita enim accuratior observatio et tandem aliquando certa therapia illius constituetur, quae prohibeat, quominus medici in ea re nil nisi spectatores otiosi sint. Multis videlicet medicis vix adhuc huius morbi nomen innotuit.

### NOTIO.

Combustio spontanea (Pyrophorescentia, Empresmus) hominis cernitur repentino intus exeunte igni, quo, externa causa nulla conspicua, corpus celerrime exuri potest.

## SYMPTOMATOLOGIA.

Dolendum est, symptomatologiam certam hoc in morbo paene prorsus nobis deesse. Cuius rei causa ea est, quod aut hominum sponte combustorum plerumque nonnisi residua conspiciebantur, aut, ubi hoc non erat, — sicuti tempore recentiore nonnunquam accidit — medici in explanationibus tantum, utpote quibus solis rei iam satisfacerent, tempus terebant. Itaque quae de symptomatibus novimus, haecce sunt.

Stadium prodromorum, quod semper adesse vix aliquis negaverit, eo cernitur, quod, ubi aegroti (sicut plerumque accidit) in lecto sunt, inquieti fiunt, resurgunt et obambulant. Magnopere sane scire iuvaret, an praesensio quaedam, e. gr. anxietas etc. istum statum inquietum procreet, quod quidem diligentiore eius generis casuum plurium observatione facile explorabitur. Potatores certe probabile est plerumque ita agitari. Sed physica quoque affectio et incitatio quaedam saepe conspicitur, e. gr. Annae Stelis, Dubliniensis, quae per totum morbi tempus cum marito vehementer rixabatur. Ad extremum fere omnes potionis, qua praecipue delectabantur, copiam satis largam sumserunt. — Facile est intellectu, ad hoc stadii prodromorum momentum prae aliis animum esse advertendum, quod, nonnisi his symptomatibus accurate cognitis medicamina spe quadam vitae aegroti servandae adhiberi poterunt. — Brevi repentinus dolor, mediocri ictu electrico similis, tum spasmus plerumque in extremitatibus, saepe vero etiam dolor in partibus internis aegrotos corripit. Deinde in eo loco, qui dolet, flamma semper caerulea apparet, haud alte assurgens, huc illuc saliens, saepe penetrabilem odorem sulphureum, rarius empyreumaticum spargens, aegrotum vehementer excrucians, non facile res

alias corripiens — quae aqua non exstinguitur, sed adeo augetur. Simul oleum foetidum, simile oleo animali foetido secernitur, quod rebus vicinis adhaeret.

Nonnunquam magno cum strepitu coniuncta fuit hominum combustio, ut Bartheli sacerdotis paulo infra commemorandi, et praecipue Thomasinae Choret, mulieris, quam Dr. Hellis LXXVII annos natam, postquam die XXX Dec. MDCCCXX in taberna vinaria inebriata erat, vespere hora X domum rediisse enarrat. Media nocte eam se movere, prosterni et paulo post nasci crepitum audiverunt, similem ei, qui inter butyrum liquefaciundum observatur. Qui strepitus quum diutius duraret et intensitate augeretur, hominibus, ne quid in aedibus arderet, timorem iniecit. Brevi autem quum vehementiam eius singularem non animadvertissent, requieverunt.

Plerosque homines, a combustionem correptos, mortuos esse inventos, iam supra commemoravimus, ita, ut nihil de phaenomenis, quae ipsam catastrophem antecesserunt, significetur. Saepissime corporis partem maximam in cineres et carbones combustio verterat et duris solummodo capitis summisque extremitatibus pepercerat. Attamen pauci infelices satis diu vixerunt, qui accuratius de re referre potuerint. A quibus quae relata sunt, omnia hic afferamus, quoniam permulta inde discimus, dum alii casus, maxima ex parte sibi analogi, nihil habent proprium, quo inter se discernantur.

Vetustissimus isque notissimus eius generis casus est ille, cuius iam supra mentionem iniecimur, Mariae Bartheli, sacerdotis Italici, primum a Biamhenio anno MDCCXLIV promulgatus.

Barthelius negotiorum causa ad mercatum, Filettone urbe habitum, profectus est. Postquam per totum diem continuo sese moverat, sub vesperam Funil se contulit,

ubi apud cognatos pernoctaret. Nec cibo nec potu fructus cubiculum dormitorium sibi petivit. Ibi quum advenisset propinquum salvere iussit. Non ita multo post mirus strepitus in illo cubiculo et anxius clamor auditus est. Illuc statim properant; apertis foribus sacerdotem medio in cubiculo iacentem conspiciunt, flamma leviter librata circumdatum, quae, ubi propius accedunt, ab illo cedit et brevi plane evanescit. — Postridie chirurgus Bataglia arcessitus est, qui in dextro brachio cutem paene prorsus a carne dissolutam inveniebat; toto inter humeros ac femora spatio cutis laesa erat pariter atque in sinistro brachio, in quo iam die sequente gangraena apparebat, quae tertio die alias quoque partes invadebat. Aegrotus siti et convulsionibus vehementissime cruciabatur; niger vomitus, delirium in loquendo et sopor ad mortem usque, quam quarto die obiit, celeriter sese excipiebant. Quem quum ultimum Bataglia viseret, corporis, intolerabilem foetorem spargentis, putredinem inde a die antecedente mire processisse animadvertit, adeo ut a sinistrae manus digitis ungues dissolverentur et digiti carni impressi vestigium remaneret. Ipse aegrotus, ut quae meminisset, enarraret, rogatus, quum cubitum fuisset iturus, dextram quasi clavae ictu percussam esse narravit; simul parvam, lucidam flammam prosiliisse, expertem odoris, quae interulam in cineres verterit, manibus illaesis. — Tegumentum, quo caput velaverat, prorsus combustum erat, capillus vero integer. Quae quidem res digna esse nobis videtur, ad quam maxime attendatur; iam supra enim casus, quem Dr. Hellis observavit, commemoratus est, in quo, reliquo corpore maxima ex parte deleta, capilli integri a capite soluti inveniebantur. — Caeterum nox quieta et frigida, coelum hilarissimum fuit; in cubiculo neque odor vini adusti ne-

que fumus observatus est. Sacerdotem vino nimis indulsisse nusquam quidem refertur, sed valde probabile est.

Pierre Reytertau, e vico duo milliaria a Burdigala oriundus, XL annos natus, vir validus, ut videbatur, ac robustus, natura cholericus, qui in spirituosus potibus percipiendis nunquam modum excesserat et continua valetudine fruebatur, in eo erat, ut Burdigala domum rediret. Dies erat calidissimus mensis Septembris; R. thermometrum erat  $30^{\circ}$ ; tonitru imminabat, ita ut electrica atmosphaerae intentio magna (atmosphæra admodum electrica) esset. Vestimenta illius recentia utrum lana, an erioxylo, an lino contexta fuerint, non refertur. Sub quartam vespere horam, quum in via esset, subito dextram femur ictu percuti sensit. Nec tamen ubi femur aspexit, quidquam animadvertit. Paulo post dextrae manus ad femur dependentis digitum indicem caeruleo colore circumclusum videt. Itaque hunc digitum ardentem digito medio apprimit, qui et ipse statim accenditur. — Omnino hoc praecipue combustioni spontaneae est proprium, quod flamma ab aliis in alias organismi partes facillime transit, dum res alienas difficulter corripit. — Reytertau, ut flammam exstingeret, digitos in braccas abdit, quae vero statim incenduntur. Tum humi prostratus manum in arenam recondit, eiusque copiam aliquam in hraccarum crumenam, quo flamma iam irrepserat, infundit. Quum timeret, ne cunctae vestes flamma corriperentur, ambabus manibus fasciam braccas constringentem comprehendit. Tum vero sinistrae quoque digiti, dextram attingentes ardere incipiunt. Tandem flamma in dextra arena deleta est; spissus inde fumus surrexit; sinistrae digiti ardere perrexerunt. — Quum ille ictum acciperet, circiter horam a domo aberat; quam nactus digitos ardentes pluries qui-

dem in aquam frigidam mergebat, sed ut flammam exstingueret, efficere non poterat. Quod quum tandem, digitis coti aquariae, quam praetercurrebat, appressis, contigisset, digiti tamen fumare non desinebant, quorum quatuor vehementer inflammatione dolebant. Inter eos, qui aderant, mulier erat, quae „fides, inquit, nos, vicine, servat; in hanc patinam, aqua lustrali a me repletam, manus merge!” Ille obedit; fumus illico evanescit. — Marcuartus, qui hunc casum observavit, recte dicit, aquae lustralis vim ideo fuisse tam magnam, quod ultimum, quod adhibebatur, remedium erat; probabile esse, aquam omnino tunc eandem vim fuisse habituram.

Temporis spatium, quo ignis eruperat, latius diffusus et exstinctus erat, quinque minuta fuerunt. Digiti statim aqua calcaria abluti et compressionibus butyro recenti oblitis circumvoluti sunt. Ita post aliquot menses curatio perfecta est.

Ante aliquot annos in Scotia hoc accidit: Agricola, qui, ut se refoveret, ad focum culinae resederat, repente toto corpore ardere coepit. Quo plus aquae in eum fundebatur, eo plures caeruleae flammae, sulphuri incenso similes, erumpebant. Infelix ille antequam animam edidit, enarravit, se subito intolerabilem fervorem in ventriculo sensisse, paulo post flammam animadvertisse e superioribus et inferioribus extremitatibus erumpentes easque partes consumentes. Fuit et hic inter eos, qui Bacchum nimis colunt, virtutemque singularem potandis nonnunquam largissimis vini adusti copiis se probare putavit.

Mense Iulio MDCCCXXXIV in Francogallia similis casus occurrit. Agricola potando deditus, circiter triginta passus ab igne sedens, totus incendi coepit, praecedente interno dolore. Quamvis omnis cura adhiberetur, tamen vita ei servari non potuit.

Catharina Heis, virgo septemdecim annos nata, tenero corpore, sed bona valetudine, iam aliquamdiu capitis dolore laboraverat, ita ut domum, in qua serviebat, deserere cogeretur. Die XXI Februarii MDCCCXXV postquam diu suserat, accensum lumen in mensa erat positura. Eodem temporis momento ingentem persensit toto in corpore, praecipue autem in digito indice sinistrae manus fervorem. Digitum caerulea flamma sulphur olens circumdabat. Illa qua flammam deleret, statim manu aquam petebat et linum uvidum circumvolvebat, sed frustra. Flamma in tenebris solum conspici poterat. Quae cum tandem lacte, quo identidem manus lavabatur, restincta esset, dolens et altum vulnus gangraenosum reliquit.

Thermometrum huic manui admotum  $25^{\circ}$  R. fuit, dum in dextra flammae experte  $17^{\circ}$  R. non superabat. Multa experimenta, materiis igni concipiendo aptis instituta, nihil omnino edocebant. Electroscopeus etiam aegrotae admotus, in sella isolatoria positus, nullam vim exserebat. E summis denique digitis extractae electricae scintillae tanto aegrotam dolore afficiebant, ut ab eiusmodi experimentis prorsus abstinendum esset.

Quae quidem res memorabilissima est, non solum quod de puella agitur adolescente, sed etiam quod nullae aderant causae, quae morbum procreare vulgo existimantur, e. gr. ebrietas, pinguedo etc. Eadem illa re satis quoque comprobatur, combustionem spontaneam non a solo vino adusto progigni, sed ex aliis etiam nervorum systematis vigorem minuentibus viribus (influentiis) enasci posse. Ubi nervi, illi vitae moderatores, in vi sua exercenda elanguerunt, inanimatae (inorganicae) naturae leges eo magis valent, ut nonnisi externa causa opus sit ad combustionem spontaneam, aut sphacelum, gangraenam, chronicam quodammodo formam progignendam. Quae utraque ad corpus

diruendum magis, quam ulla alia conditio pathologica, proclivis apparet; utraque vim vitalem prodit quam minimam; utraque genus quoddam est organicorum fermentandi processuum, — quod quidem in spacelo dilucide apparet. Combustionem spontaneam recentiores physici et chemici etiam gasis conformationem in corpore antecedere dicunt. Combustio spontanea et gangraena eo tantum differunt, quod illius momentum causale electricitas est, huius vero mechanica vel chemica, vel alia quaedam influentia.

Dixerit quidem aliquis, ex iis, quae modo dicta sunt, sequi, combustio frequentior sit necesse esse. At revera multo frequentior est, quam vulgo creditur; et praeterea res alias quoque subesse verisimile est, quas perspicere nobis adhuc non licuit.

Memoratu dignissimum est, in iis, qui vino adusto non indulgebant, combustiones per singulas tantum partes extitisse, eas quidem, quae in aliis plerumque non laedebantur. Et revera quidem combustio per partes quoad causam, decursum etc. ita ab universali differt, ut aliquando fortasse propriam speciem effectura esse videatur.

### AETIOLOGIA.

Antiquissima huius morbi vestigia undecimo saeculoprehenduntur, quod certe iis, quae Hartovicus, monachus Ratisbonensis, et post eum Albertus Kranzius refert, homines tempore expeditionum cruciatarum interno, qui cerni non potuerit, igni combustos esse, significatur. Praeterea vero nihil comperimus de illo morbo, qui omnino rarus fuisse videtur, donec invento vino adusto frequentissimus fiebat et, auctore Swediane, nunc quoque est, praesertim in regionibus septentrionalibus. Argentorati intra viginti

annos tres casus acciderunt combustionis spontaneae, quae omnino in Francogallia tam crebra est, ut quoque anno exempla proferri possint, — quod inde fieri videtur, quia illa gens iam a natura ipsa ingenio satis fervido praedita vinum adustum intemperantius bibit.

Discernimus interna momenta praedisponentia et externas causas occasionales.

#### MOMENTA INTERNA SUNT:

a) **Sexus.** Raro viri correpti sunt, plerumque mulieres, sive quod earum corpus maiore pinguedinis copia impletum sit, — quod Lair, Marc alique putant, nobis vero eo minus probari posse videtur, quia macerae quoque correptae sunt — sive quod, Authenriethio auctore, hydrogenium in iis praevaleat corporique magis inflammatoriam dispositionem praebeat.

b) **Aetas.** Ante pubertatem nunquam combustio spontanea observata est; illa autem incunte fieri potest, ut existat. Quare omnes, qui de ea scripserunt, magnopere erraverunt, quod istum morbum nonnisi in involutionis periodo occurrere putabant.

c) **Individualitas.** Homines ab eo morbo correpti fere omnes sunt decrepiti, corpore tumido, nimia vini adusti potione, vel aliis rebus, vires conficientibus, debilitati. In multis, qui adhuc exstiterunt, casibus, duo tantum homines, de quibus supra dictum est, fuerunt, qui nimio potui non indulgebant.

#### EXTERNAE CAUSAE OCCASIONALES.

Voigtius dicit: „Die Wirkungen des Weingeistes charakterisiren sich besonders dadurch, dass bei der allge-

„meinen und höhern Wirkung die allgemeine Belebung  
 „und Ermunterung, vorzüglich des Nervensystems, viel  
 „kürzer dauert, der Zustand der Abspannung und Schwäche  
 „viel früher eintritt, auch stärker sich ausbildet und län-  
 „ger anhält.“

Si vero praeterea consideramus, non purum esse Alcohol, quod homines bibunt, sed vinum adustum notae pessimae (quod vulgo dicitur Fuselbrantwein), in quo principium narcotino simile inesse iamdiu cognitum est, nervis infestissimum, facile est intellectu, quantae mutationes in oeconomia animali vehementius et continuis ebrietatibus effici possint — quae quidem res etiam anatomica inspectione satis comprobatur. Itaque e simplici naturae observatione profecta est veterum sententia, liquorem spirituosum paulatim per partes corporis penetrare et ita pro sua natura organismo dispositionem inflammatoriam tribuere.

Inde, quod flammae saepenumero ex ore erumpunt, quod pulmonum exhalationis idem est odor, qui etiam inter sectiones e visceribus, praecipue e cerebro spargitur — quare Koppius prorsus refellitur, dicens: „die in Menge vor dem Tode genommenen Getränke können die leblose Masse ohne Zersetzung durchdringen und so den Theilen ihren specifischen Geruch mittheilen“ (qua tandem ratione in cerebrum penetrare possint?) — rectam esse veterum sententiam satis comparet. Quae vero sententia quodammodo non satis accurata et manca est; recte enim aliquis interrogaverit, cur non omnes potatores ita pereant? cur alcoholi praeparata, in quae tota transiit et permanavit, non facilius quam alia deurantur? quomodo tandem in talibus hominibus combustio spontanea occurrere possit, qui potationi non indulgent? — Bedhons, qui extremo saeculo decimo octavo vixit, propius ad ve-

rum accessit, putans, combustionis causam in alcoholo inesse, quod, ubi scintilla forte accesserit, accendatur.

Sicuti prius combustio spontanea solo alcoholo efficiente oriri putabatur, ita Hallerus, Gaubius, alique plures veram illius causam detegisse sibi videbantur in electricitate, quippe quae per se, aliis rebus non accedentibus, eam progignere posset. Sed Bartholinus Veronae mulierem vidit, quae sponte sua e cute scintillas eliciebat; et Brydona muliere Lugduni Batavorum, quando illa comeret capillos scintillis ex iis prosilientibus lagenam replere et vinum adustum accendere potuit. Cuius generis exempla plura exstiterunt. — Tales igitur homines, si, quod illi putant, verum esset, prae aliis combustioni spontaneae obnoxii sint, necesse esset. — Quemadmodum autem omnis morbus, ita hic quoque e conflictu praedisponentis et occasionalis momenti oritur.

Electricitatem verum momentum occasionale esse, ex casibus supra allatis, declaratur, in quibus aegroti ictum sentiebant talem, qualis per machinam electricam efficitur. Illi aut prope ignem versabantur, aut movendo calefacti erant, quae res utraque idioelectricitatem valde adiuvat. Hiems, qua aër frigidus existit isolator, vel dies tonitrua minantes tempore aestivo, quo aër quam maxime electricus est, illi morbo procreando opportunissimi sunt — Ezechiel Castro e spina hominis ignem erumpere observavit, oculos laedentem. Deryton Washingtoniae in America septentrionali a scintillis, inter exuenda tibialia serica e pedibus prosilientibus, soleam comburi et alterum tibiale in cinerem verti vidit. Hic ad combustionem ipsorum hominum progignendam nil nisi proclivitatem quandam internam defuisse apparet.

Varias comparationes, semper inter hominum, animalium et plantarum morbos institutas et praecipue in Hoff-

manni Pathologia ideali egregie expositas intuentibus eo magis mirandum nobis videtur, nullam combustionis spontaneae rationem ibi habitam esse, quod analogia manifestissima inter hominis et vegetabilium quorundam e. c. foeni incensionem intercedit. Etenim causae vegetabilibus incendendis subsunt tonitrua et siccitas aestatis, ea quidem ratio meteorologica, quam hominis etiam incensionem oppor- tunissimam cognovimus. Deinde necesse est materia sit humida et quodammodo fermentetur, quod quidem congruit cum sententia complurium nostri saeculi virorum doctorum, gas conformari in corpore putantium, id quidem ipsum, quod in sepulcrorum locis ignes fatuos producit idque proprium habet, quod in aëre incenditur, itaque hydrogenium phosphoricum. Quod quidem, sicuti liquor in Anasarca, in laxissimis corporis partibus confluit. Torpens vita, nervorum vis imminuta, frequens carbonico-hydrogenicorum potuum usus momenta sunt adjuvantia. Gas autem quodcunque in vita organica secernendi vel fermentandi processu conformatur, unde hic quoque eadem prorsus inter utramque rem ratio oritur.

Metalli partes, e. c. furcarum, palorum etc., quae forte in foenum illatae erant, ut boni electricitatis conductores, incensionem praecipue progenuisse expertus sum, quod novum argumentum est, totum processum esse electro-chemico-organicum.

Overadi hominis combustionem inde derivat, quod largior acidi phosphorici copia in eorum cute colligatur, qui immoderato spirituosorum potui assueverint, quoniam multum hydrogenii cum phosphoro coniungatur, ita ut substantia oriatur, quae, occasione oblata, simulac corpus ardens attingat, combustionem procreet. Cuius quidem sententiae rationem non habitam esse apparet.

## THERAPIA.

Priusquam prima morbi indicatio sive stadium prodromorum non satis accurate expositum et illustratum erit, therapia ab omni parte absoluta constitui non poterit. Quae in re Prophylaxis est gravissima. Quum enim experientia doceat, homines sponte combustos fere omnes fuisse potatores, ante omnia id erit spectandum, ut homines ab immodica potatione prohibeantur. Brühlkramer primus ad illum finem acidi sulphurici cum amaris remediis commixti usum commendavit, quo diebus quatuordecim vel tribus hebdomadibus praeteritis plerumque vini adusti fastidium creari dicit. Cui Roth aliique adstipulantur.

Quum vero omnino ebrietas efficiat, ut homo dignitatis suae immemor fiat, quum inde magna morborum turba prodeat, et totius saepe familiae salus evertatur, eorum, qui sanitati publicae tuendae praefecti sunt, esse putamus, ut sedulo curent, ne modus in bibendo excedatur.

Indicatio morbi. Ante omnia spectandum est, ut flamma restinguatur. Aqua ut prodesset, tantum abfuit, ut semper malum auget. Ante aliquot annos Gauber quidam, Argentoratensis combustione spontanea correptus est. Ad eam delendam stercore obrutus est; sed quum protraheretur, prorsus in carbones solutus erat.

Remedium optimum lac est, quo partes correptae tinguntur. Quo facto illae aqua calcaria lavatae et unguento demulcente, e vitello, butyro etc. commixto, inunctae obligantur. Intus ammonium causticum ad vim alcoholi tollendam locum principem tenere videtur.

In Catharina Heis supra commemoratae intus remedia antiphlogistica et refrigerantia una cum venaesectione adhibita sunt. Aegrota quamquam ita levabatur, tamen con-

tinuo de vehementer ardente dolore in brachio querebatur, qui multo postea sulphur redolere pergebat. Per tres vel quatuor dies pustulae adustione oriebantur in interiore parte manus, quae fervidissima et admodum sensibilis permanebat.

## THESES DEFENDENDAE.

---

- I. Splen non ad totum organismum, sed ad singula tantum organa pertinet.
  - II. Foetus, quamdiu velamentis circumdatus est, a nulla dyscrasia uteri infici potest.
  - III. Quicumque morbus animam turbat.
  - IV. Contraindicationes non sunt.
  - V. Cur cordis hypertrophia his in regionibus tam frequens sit, ignotum est.
  - VI. Unica Varicocelen curandi methodus est compressio.
  - VII. Trepanatio rarissime indicata.
  - VII. In commotione cerebri semper est laesio organica.
  - IX. Non sunt certa graviditatis signa.
  - X. Methodus expectativa in arte obstetricia plerumque optima.
  - XI. Perforatio reiicienda.
  - XII. Mortis foetus certum signum non est.
-

# THESES DIFFERENTIALES

- I. Specimen non ad totum organismum sed ad singula tantum organa pertinet.
- II. Factus, quodvis velamentis circumdatus est, a multis dyscrasiis utriusque potest.
- III. Quicunque morbus animam turbat.
- IV. Indicationes non sunt.
- V. Cum cordis hypertrophia hic in regionibus tam frequens.
- VI. Ignota est.
- VII. Iste Vasculorum curandi methodus est compressio.
- VIII. Trachea rariore indole.
- IX. In commotione cerebri semper est laesio organica.
- X. Non sunt certe gravitatis signa.
- XI. Methodus expectativa in arte obstetricia potius optima.
- XII. Perforatio rariore.
- XIII. Morbis locis certum signum non est.